



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Renouata persecutio. ibid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1623.

1624.

in Insulam non diu superfuit : Etenim dum Londini in celeberrima trecentorum circiter hominum concione , quæ in suprema domus contiguatione conuenerat , perorat , vitio cariosæ atque infirmæ trabis solutâ compagine , perruptoquæ mole ruentium tabularum & hominum altero ad imum vsque tabulato , lignorum rudèrumque & præcipuè corporum se comprimentium ruinâ oppressus , aut pulueris copia suffocatus extinguitur : Perierunt ex Auditoribus prope octoginta : In his noster etiam *Guilielmus VWhittinghamius* , vir ab infantia innocentissimæ vitæ , moribus placidissimis , & ab omni grauiore perturbatione alienis ; quibus non mediocri cum doctrina coniunctis multam frugem fecerat , præsertim cum Noui (vt vocant) Carceris angustijs pluribus annis teneretur *Ioanni Perceyo* locius : hoc anno currente numerauerat centum & quinquaginta sua opera ad fidem aggregatos ; præcipuè vero eius virtus in pueris pauperibus erudicendis elucebat , vt vulgò Sacerdos pauperum audiret : In area domus quæ concidit , & quæ eo tempore ad Oratorem Christianissimæ Regis pertinebat , apertâ sepulturâ plerique sunt conditi consuetâ Catholicis ceremoniâ . Ereptos è ruina hæretici non maledictis modò sed & luto & lapide per plateas excipiebant humanitatis obliti , augurabanturquæ , cladem hanc damnantis fidem nostram Dei indicium esse manifestum : solabantur se interim Catholici certâ spe salutis felicitatisque defunctorum , quorum plerosque constabat eo ipso die sacrâ exhomologesi expiatos , resectosquæ fuisse Sacratissimâ Eucharistiâ ; Et dolori leuando accessit trium Catholici Regis Oratorum pietas qui erecto cænotaphio , & concione funebri , & largæ elemosynâ parentatunt ; valuit denique ad abstergendas lachrymas atque aduersantium diluendas calumnias eruditus à *Ioanne Floyd* editus libellus (quem *verbum consolationis* inscripsit) ostendens casus huiusmodi non iræ semper aut vindictæ , sed gratiæ frequenter & fauoris esse indicia ; Prælagire tamen deinde apud complures vitus est iste futuras calamitates , atque spei illius ruinam quam ex Matrimonio Caroli Principis cum filia Hispaniæ hauserant Catholici : Etenim posteaquam de his nuptijs agi desitum est erupit tempestas eo acerbior quò fuerat alter annus intermissa persecutione iucundior ; iussiquæ sunt Iudices veteres omnes leges , præterquam quibus capitis pæna sancitur , seuerè exigere : Ad Comitia etiam vocati regni Ordines nihil potius habuere quam vt nouas ferrent , ac regiam præterea potestatem cohiberent ne pro arbitrio indulgeret . Indictum quoque est ad certum diem exilium Sacerdotibus omnibus sub pæna capitis : Hinc magna vbique consternatio ; in qua etsi non defuerint qui fortunas libertatemque suam habuerint Christi fide ac Religione cariores , multo tamen plures fuere quorum constantiam nulla possessionum direptio , nullus carcerum metus potuit infringere : Vigilandum itaque in omnem partem fuit , seduloquæ laborandum : Et quoniam experientia compertum est neminem euadere constantiorem quam qui maiores faceret in pietate progressus , orationis & Sacramentorum

fre-

Renouata
in Anglia
persecutio

frequens vsurpatione plurimum est & cum fructu commendata; quamuis enim nemo siue ingenti discrimine aut Sacrosancto Sacrificio interesse aut Sacramentis participare queat, ipsum tamen discrimen (quæ Dei est benignitas) addere videbatur animos ut nemo libenter ad diuturnum tempus abstineret, Sacerdotesque vel adiret ipse, vel domo quantois cum periculo reciperet. In tenuiores præsertim sauitum est bonis ditectis, pluribus etiam indictâ causâ in vincula coniectis: anteuertebant enim Iudicum sententiam nequissimi apparitores, & auaritia odioque stimulante panarum lege constitutarum acerbiter suis direptionibus superabant, dum pro omni causa satis superque eratabuisse vel vno dominico die à cæteris hæreticorum. Opulentiores ac genere illustriores prætenæ fidelitatis Iureiurando irretiebantur: Cui malo haud facile vbiq; occurri potuit, quandoquidem si cederent, fidem Principi Pastorû debitam fallebant; si recusarent, fortunarum ac familiarum ruina, egestas, carcer imminebat. Quæ in re Nobis eo impensius ex aduerso pugnandum fuit, quo non defuere ex doctorum hominum numero qui id iurari aut licite posse, aut etiam debere, verbo scriptoque defenderent. Nusquam enim non sunt quos aut metus incommodorum infringat, aut amicitia falsa adulatioque corruptat, aut nimia de se deque sua doctrina existimatio eleuet ut collidat. Nota res est & in orbem Christianum peruulgata variarum nationum & doctissimorum hominum commentationibus ut longiori narratione Lectorem detinere superfluum sit.

VIII. Opportunè his malis ut occurreret Sanctissimus Dominus noster Urbanus Octauus ad clauum Ecclesiæ eo tempore residens, & prouidâ sapientiâ filijs consulens hæc ad Catholicos scripsit, confirmaturus vacillantes, fortes ad constantiam adhortaturus.

Urbanus Papa Octauus

Dilectis Filijs Catholicis Angliæ.

Dilecti Filij Salutem & Apostolicam Benedictionem. Non semper terrena felicitas est beneficium Cæli, & patrimonium Pietatis. Patrem enim peccatorum videns Ecclesia non raro experta est potentiam mortalium esse stipendium sceleris; Quare catenas Martyrum anteferimus coronis triumphantium; & Rex sempiternus Principatum Cælestem pollicetur non ijs qui superbo pede iura proterunt, sed qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Veritatem hanc è thesauris Diuinitatis delatam in terras contemplans Apostolus, non modò animum non despondebat sed superabundabat gaudio in omni tribulatione fidelium: Qui enim digni habentur pro nomine Iesu contumeliam pati ij tesseram diuini amoris videntur possidere, & eo pretio abundant quo sunt venalia diademata æternitatis. Malle-

Breue Vr-
bani de
persecutio-
ne.